




R. P. D.

ANSALDO

Compostellana Parochialium
super attentatis.

Veneris 13. Martij 1716.



Ræmissa facti serie exposita in contemporanea Decisione, contextualiter interrogavi Dominos Meos, = *an constet de attentatis, itaut sit circumscribenda possessio* = Et affirmativum habui responsum.

Clara namque, & inexcusabilia videbantur attentata, dum controuerti non poterat Benedictum deuenisse ad expeditionem li-
cte-

terarum suæ prouisionis, postquam Andreas nominatus à Monasterio Sanctæ Mariæ de Sobezado iam Commissionem appellationis à Concurfu indicto per Vicarium Generalem Compostellanum, in quo præelectus fuerat idem Benedictus nostro Auditorio iam direxerat, & postquam eidem Benedicto, plenè notificata per affixionem (stante eius latitatione) in Domo solitæ habitationis literæ Citatoriales extiterant, atque etiam hic in Curia interpellatus de Commissione, & expeditione earumdem Citatorialium apparebat suus Procurator, *ut in Summario Num. 2.*

Vnde quotiès illæ de hisce omnibus certior factus præsentauit in partibus suas literas Executori, & deuenit ad actualem possessionem Vicariæ, saluari non poterat à palmaribus attentatis, dum pendente, & introducta Causa huiusmodi in Sacra Rota, cessant vniuersæ facultates Exequutorum, & ad ipsam solam spectat priuatiuè exequi, instituere, & conferre ex ea viua ratione, quod in beneficialibus censetur deductum omne Ius ab initio ex *Text. express. in Clement. Auditor de rescript.*, proptereaque omnia gesta coram alijs veluti talia reuocanda veniunt, *Vitalin. in eadem Clement. num. 48. Rota coram Coccin. decis. 443. ferè per tot., & in Rec. decis. 469. part. 4. tom. 2.*

Negotium non facessente quod Commissio per Andream reportata in ventre haberet clausulam = *Non tamen vigore literarum Apostolicarum*, = Quæ idem importat, ac sine præiudicio Executionis literarum Apostolicarum, cuius vigore illæsa remanet, & præseruata Iurisdictio inferioris Executoris; Quoniam euanda detegebatur obiectio animaduertendo talem Clausulam præseruariam suum effectum producere minimè posse, quando Commissio Causæ in Rota præcessit, prout hic, expeditionem literarum Apostolicarum, in quibus conceditur Exequutori inferiori Iurisdictio, cessante tunc ratione animatiua, ob quam per Signaturam in Commissionibus illa poni solet, nè fiat iniuria Exequutori, & in præiudicium etiam Partis, Iurisdictio iam radicata ab eo euellatur *Lotter. de benef. lib. 3. quest. 11. numer. 30., & sequen. Marchesan. de Commiss. tom. 1. fol. 224. Card. de Luca de Benef. disc. 52. num. 13.*

Neque in posse est Prouisi Apostolici absque attentatorum Vitio possessionem apprehendere vigore literarum Apostolicarum, cum literæ Apostolicæ nequaquam præcedentem litem extinguant, & annihilent, nec aditum sternant eludendi collitigantem, & ledendi maiestatem Iudicis inhibentis *Rota decis. 152. numer. 6. part. 11. Recent., & in Dertusen. Beneficij super attentatis 28. Iunij S. Fin. coram Eminentissimo Priolo, & in Drixieu. Beneficij 26. Aprilis 1708. coram Eminentissimo Kaunitz, & in altera Compostellana Vicaria Sancti Petri de Porta, Jèu de Ecclesia Noua*

Nova 28. Iunij 1715. §. Absque eo quod, & seq. coram Me.

Eoque magis, quia possessio Vicariæ capta ab antefato Benedicto præsidium non habet, nec assistentiam boni Iuris, ut demonstra-
tum fuit in contemporanea Decisione, quo circa saltè per viam
nullitatis circumscribenda veniebat. nè possessor attentans, &
mali Iuris fruatur fructibus Beneficij nullitèr, & attentatè posses-
si, *Lancellot. de attentat. limit. 29. num. 5. Posth. de manut. resol.*
7. num. 2. Rota in Anglonen. Attentatorum 5. Decembris 1686. §.
Econtra coram bon. mem. Pio.

Et ita utraque &c.

ROMÆ, MDCCXVI.

Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.

